



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 10. Opinio in hac contentione prævalens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

vero Episcopus testabatur, jam Julii III. ^{Sæc. XVI.}
 ætate ejusmodi declarationem fuisse ^{A C. 1562.}
 cæptam, sed infausto successu, cum ab
 hæreticis adversum illam multa objice-
 rentur, ac vulgarentur, quibus ipsa e-
 tiam Synodi decreta impugnabant. I-
 dem pariter opinabatur Episcopus Quin-
 queecclesiensis, asserens, quod cunctæ
 hæ explicationes novis disputationibus
 fomitem præberent.

§. X.

*Opinio in hac contentione præ-
valens.*

Ex altera parte Callinus Archiepisco-
 pus Jadrensis, Ruberius, & Blancus,
 quorum primus Senogalliensis, alter
 autem Auriensis Antistes, Joannes Ba-
 ptista Osius Reatinus, & Alexander Sfor-
 tia Parmensis, qui postea inter Purpu-
 ratos eluxit, censebant, hisce Canonibus
 succinctam aliquam explicationem esse
 præmittendam, in qua illi duntaxat de-
 clararentur, quin tamen in eis compro-
 bandis, aut hæreticis convincendis infi-
 steretur: at tertia demum prævaluit
 illorum sententia, qui existimabant, ap-
 ponendam esse in Sessionis fronte pro-
 thematis dignitate quamdam doctrinæ
 explicationem solidis argumentis sufful-
 tam, ut per eam definitiones magis con-
 firmatæ, & ea, quæ opponuntur, pla-

Hist. Eccles. Tom. XLV.

Q ne

Sæcul. XVI. ne rejecta apparerent. Idem censuit
A.C. 1562. Paulus Jovius Nuceriensis Episcopus
 & pro hac parte pugnabant acriter
 Stella, Fuscararius, Bovius, & Prosper
 Rebiba e regno Neapolitano Episcopus
 Trojanus, qui omnes opinabantur,
 quod prætermitti non possit omnis expli-
 catio doctrinæ ob rationes nuper ad-
 ductas, nec pariter brevis sit adhibendus
 sermo, ne adversariorum argumenta
 haud solvenda videantur: „si autem,
 „prosequebantur illi, Concilium eum
 „morem tenuerat in superioribus ses-
 „sionibus, longe id impensius agendum
 „nunc est in eo argumento, quod non-
 „dum ab antea actis Conciliis fuit agita-
 „tum, de se tamen amplum non minus,
 „quam difficile, & a variis sectis op-
 „pugnatum est: His adjecit Franciscus
 „de Gado, Antistes Lucensis in Hispa-
 „nia: necessariæ Fidelibus non modo
 „sunt definitiones eorum, quæ sunt cre-
 „denda, sed etiam Pastoribus, & Con-
 „cionatoribus ejusmodi doctrinæ ex-
 „plicatio debetur, ut dogmata, quæ po-
 „pulo proponunt, explicare valeant, nec
 „ejusmodi expositio doctrinæ melius
 „alibi ab Ecclesia præstari potest, quam
 „in Oecumenica Synodo, ubi Sapientiæ
 „flos convenit, atque ea, quæ singuli
 „noverunt, cunctis communicantur, nec
 „non veritatis Spiritus præsens est.”
 Cete-

Ceterum contrariis, quæ Joannes Baptista Castanea Rosanensis Archiepiscopus proponerat, argumentis respondebant Petrus Camajanus Fesulis in Etruria Episcopus, & Didacus Covarruvias Civitatenfis Antistes, illosque sequebantur alii Præsules, atque inter eos Julius Magnanus ex Ordine Fratrum Minorum Calvensis in Corsica Episcopus affirmabat, quod præter recentissimum, ac validissimum exemplum ipsius Tridentini Concilii in præteritis Sessionibus, etiam in Ephesino Canones obscuriores adjecta doctrinæ luce a Sancto Cyrillo declarati fuerint: quapropter sancitum, ut decreta in meliorem ordinem redigi curarent, potissimum eo nomine, quod ipsimet, quibus ea sollicitudo fuerat injuncta, plura adhuc corrigenda superesse faterentur, dein vero cum res omnibus numeris fuerint absolutæ, a Concilio approbarentur.

Æc. XVI.
A. C. 1562.

§. XI.

Quæstio, an Christus semetipsum in Cæna Patri suo in Sacrificium obtulerit?

Altera, magisque difficilis quæstio in eadem hac Congregatione die undecima Augusti de oblatione Christi Domini in ultima cæna agitabatur, ibi

Pallav. c. I. n. 10. Et cap. n. I. Et seq.

Q 2 autem